




R E G U L A  
CANONICORUM

Regularium Ecclesiæ, & Monasterij Sanctæ Ma-  
riæ de Roncesvalles : inventa in eodem  
Monasterio.



Pimpilone : Apud Iosephum Michaelem de  
Ezquierro , Regiorum Navarræ Tribu-  
nali Typhographum.



REGULA CANONICORUM REGUL-  
rium Ecclesiæ , & Monasterij Sanctæ  
Mariæ de Roncesvalles , inventa in  
eodem Monasterio.

*Hac sunt que observanda præcipit.*



NT omnia Fra-  
tres charissimi di-  
ligatur Deus,dein-  
de proximus, quia  
ista præcepta sunt  
principaliter no-  
bis data.

Hæc igitur sunt quæ ut observetis precipimus in Monasterio constituti.

Primum propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in Deo domino Domini, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo.

A2

E

Et non dicatis aliquid proprium, sed  
sint vobis omnia communia.

Et distribuatur unicuique vestrum a  
Præposito vestro victus, & tegumentum:  
non æqualiter omnibus, quia non æqua-  
liter valetis omnes: sed potius unicui-  
que sicut cuique opus fuerit; sic enim  
legitis in Actibus Apostolorum, quia  
erant illis omnia communia, & distribueba-  
tur unicuique, sicut cuique opus erat.

Qui aliquid habebant in sæculo, quan-  
do ingressi sunt Monasterium, libenter ve-  
lint illud esse commune; qui autem non  
habebant, non ea, querant in Monas-  
terio, quæ nec foris habere potuerunt:  
sed tamen eorum infirmitati quod opus  
est, tribuatur; etiam si paupertas eo-  
rum, quando foris erant, nec ipsa necef-  
saria properat invenire, tamen non ideo  
putent se esse fœlices, quia invenierunt  
victum, & tegumentum, quales foris in-  
venire non potuerunt.

Nec erigant cervicem, quia socian-  
tut eis, ad quos foris accedere non au-

debant; sed sursum cor habeant, & terre-  
na vana non querant; ne incipient esse  
Monasteria divitibus utilia, non pauperi-  
bus, quia sic divites illic humilantur, &  
pauperes illic inflantur.

## DE DIVITIBUS CONVERSIS.

**R**URSUS etiam illi, qui aliquid vi-  
debantur esse in sæculo, non  
habeant fastidio Fratres suos, qui  
ad illam Sanctam Societatem ex pauper-  
itate venerunt: magis autem studeant,  
non de Parentum divitium dignitate, sed  
de pauperum fratrum Societate gloriari;  
nec extollantur si communis vitæ aliquid  
de suis facultatibus contulerint, nec de  
suis divitijs magis superbiant, quia eas  
ipsi Monasterio partiuntur, quam si eis  
in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcum-  
que iniqüitas in malis operibus exerce-  
tur, ut fiant: Superbia vero etiam bo-  
nis operibus insidiatur, ut pereant: &  
quid prodest, dispersendo, dare paupe-  
ri-

ribus , & pauperem fieri ; cum anima misera superior efficiatur , divitias concenendo , quani fuerat possidendo ? Omnes ergo unanimiter , & concorditer vivite , & honorate in vobis Deum invicem ; cuius tempa facti estis. Orationibus instate horis , & temporibus constitutis.

### DE ORATORIO.

**I**N Oratorio nemo aliquid agat , nisi ad quod factum est , unde , & nomen accepit. Ut si forte aliqui præter horas constitutas , si eis vacat ora re voluerint , non eis sit impedimento qui ibi aliquid agendum putaverint. Psalmis , & Hymnis cum oratis Deum , hoc versetur in corde , quod profertur in ore. Et nocte cantare , nisi quod legitur esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est ut cantetur , non cantetur.

Carnem vestram domate ieunijs , & abstinentia escæ , & potus , quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis

ieiunare non potest , extra horam prandij aliquid alimentorum non sumat , nisi cum ægrotat.

### DE SILENCIO AD MENSAM.

**C**UM iacceditis ad mensam , do not nec inde surgatis , quod vobis secundum consuetudinem legitur , sine tumultu , & contentioneibus audite. Ne solæ vobis fauces sumant cibum , sed & aures esuriant Dei verbum.

### DE INFIRMIS EX PRISTINA CONSUETU DINE.

**Q**UI infirmi sunt ex pristina consuetudine , si aliter tractantur in vietu , non debet alijs molestum esse , nec iniustum videri eis , quos fecit aliqua consuetudo fortiores : nec illos fœliciores putent , quia sumunt quod non sumunt ipsi ; sed sibi potius gratulentur , quia valent , quod non valent illi.

DE

## DE DELICATIS CONVERSIS.

**E**T si eis qui venerunt ex moribus delicioribus ad Monasterium aliquid alimentorum , oportentorumque datur , quod alijs fortioribus , & ideo fœlicioribus non datur ; cogitare debent , quibus non datur , quantum de sua sæculari vita illi ad istam vitam descendunt , quamvis usque ad aliorum , qui sunt corpore firmiores frugalitatem pervenire non potuerunt . Nec debent velle omnes quod paucos . Vident amplius ( non quia honorantur , sed quia tolerantur ) accipere , ne contingat detestanda perversitas , ut in Monasterio , ubi quantum possunt , fiunt divites laboriosi , fiant pauperes delicati .

## DE CONVALESCENTIBUS AB INFIR-

mitate.

**S**ANè quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere , ne graventur , ita post ægritudinem sic tra-

tan-

tandi , sunt , ut citius i recreentur ( Cetiam si de humillima sæculi paupertate vene- rent ) tamquam hoc illis contulerit recen- tior ægritudo , quod divitibus anterior consuetudo . Sed cum vires pristinas repa- raverint , redeant adfœliciorem consuetu- dinem suam , quæ famulos Dei tanto am- plius decet , quanto minus indigent . Nec ibi eos teneat voluptas iam vegetatos , quos necessitas levarat infirmos . Illos æsti- met ditiores , qui in substaneda parcitate fuerint fortiores . Melius est enim minus egere , quam plus habere .

## DE HABITU , ET VESTIBUS.

**N**ON sit notabilis habitus vester , nec affectatis vestibus placere , sed moribus . Quando proceditis , simul ambulate . Cum veneritis , quo itis , simul state . In incessu , in statu , in omnibus motibus vestris vestram bonam conversa- tionem ostendite , & nihil fiat , quod cuiusquam offendat aspectum , sed quod vestram deceat sanctitatem .

B DE

## DE OCULORUM PETULANTIA & CA- venda.

**O**culi vestri, & si iaciuntur in ali- quam, fæminarum, in nulla figantur, neque enim quando proceditis, videre prohibemini ; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle criminosum est : nec solo tacito affectu, sed aspectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia fæ- minarum : nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus quimpudici cordis est nuncius. Et cum se invicem sibimet, tacente lingua, conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab inmundis violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus: nec putare deber qui in fœminam figit oculum, & illius in semetipso diligit fixum ab aliis se non videri : cum hoc facit videtur omnino, etiam à quibus se videri non arbitratur : Sed etiam si lateat,

&amp;

& à nemine hominum videatur ; quid fa- ciet de illo superno inspectore, quem la- tere nihil potest ? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius quanto sapientius ? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ male placere ; illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre : Illius namque & in hac causa commendandus est ti- mor, ubi scriptum est : Abominatio est domino defigens oculum.

## DE SERVANDA PUDICITIA AD IMVI- cem.

**Q**UANDO ergo simulestis in Eccle- sia, & ubicumque ubi fœminæ sunt, invicem vestram pudici- tam custodite : Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis, & si hanc, de qua loquor, oculorum petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne male cæpta progrederiantur, sed de proximi-

corregantur : Si autem & post hanc admonitionem , vel alio quocumque die idipsum eum facere videritis , iam velut vulneratum sanandum prodat , quicumque hoc potuerit invenire : prius tamen est alteri , vel tertio demonstrandum , ut duorum , vel trium testium possit ore convinci , & competenti severitate coerceri : nec vos iudicetis esse malevolos , quando hoc iudicatis , magis quippe nocentes estis , si fratres vestros , quos indicando corrigere potestis , tacendo perire permittitis : Si enim frater tuus , qui vulnus habet in corpore , velit occultari , cum timet secari , nonne crudeliter abste sileretur , & misericorditer indicaretur ? Quanto ergo potius debes manifestare , ne deterius putrefacat in corde : Sed antequam aliis demonstretur , per quos convincendus est , si negaverit , prius Præposito debet ostendi , si admonitus neglexerit corrigi , ne forte possit secretius correctus non innotescere coeteris : Si autem negaverit , tunc neganti adhibendi sunt alii , ut etiam cor-

ram

ram omnibus possit , non ab uno teste argui , sed à duobus , vel tribus convinci .

Convictus verò secundum Præpositi , vel Præbiteri , ad cuius dispositionem pertinet arbitrium , debet commendatoriam substinere vindictam ; quam si ferre recusaverit , etiam si ipse non absceserit , de vestra societate abjiciatur : non enim & hoc sit crudeliter , sed misericorditer , ne contagione pestifera plurimos perdat : & hoc quod dixi de oculo non figendo , etiam in coeteris inveniendis , prohibendis indicandis , convincendis , iudicandisque peccatis diligenter , & fideliter observetur cum dilectione hominis , & odio vitiorum .

Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum , ut occultè litteras ab aliquo , vel quodlibet munus accipiat ; si hoc ultrò confitetur , parcatur illi , & ore tur pro illo : Si autem deprehenditur , atque convincitur , secundum arbitrium Præbiteri , vel Præpositi gravius enmen detur .

DE

## DE CUSTODIA VESTIUM.

**V**ESTES vestras in unum habeatis sub uno Custode, vel duobus, vel quos sufficere possit ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur: & si eut pascimini ex uno Cellario, sic induamini ex uno vestuario.

**N**E CONTENTIO SIT INVICEM DE VESTIBUS.

**E**t si fieri potest ad vos non pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, utrum hoc recipiat unusquisque quod deposuerat, an aliud, quod alter habuerat: dum tamen unicuique prout cuique opus est, non negetur: Si autem hinc inter vos contentiones, & murmur oriuntur, cum conqueritur aliquis se deterius accepisse, quam prius habuerat, & indignum esse, quod ita vestiatur, si eut alius frater Iesus vestiebatur; hinc

vos

15  
vos probate quantum vobis desiti in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro hac habitu corporis litigatis: tamen si vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis, quod deposueritis, in unum tamen locum sub communibus custodibus habete quod ponitis; ita sane ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in communione frant, maiori studio, & frequenter alacritate, quam si vobis singulis facheretis propriis: Charitas enim, de qua scriptum est, quod non querit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia proprijs non propria communibus anteponit; & ideo quanto amplius rem communem, quam propriam curaveritis, tanto vos amplius proficere moveritis, ut in omnibus, quibus utitur transirura necesitas, superemineat quæ permanet charitas: Consequens ergo est, ut etiam cum quis filijs suis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur, sed

sed sit in potestate Præpositi ; ut in rem communem redactum , cui necesse fuerit , præbeatur , quod si aliquis rem sibi collatam cellaverit , furti iudicio condemnatur.

### DE ABLUTIONE VESTIUM.

**I**NDUMENTA vestra secundum arbitrium Præpositi labentur , sive à yobis , sive à Fulonibus , ne interiores animæ fordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

### DE NECESSITATE INFIRMORUM.

**L**AVACRUM etiam corporis , cum infirmitatis necesitas cogit , minime denegetur , sed fiat , sine murmure . Ideo consilio medicinæ , ita ut etiam si nolit , iubente Præposito , fiat quod faciendum est pro salute : Si autem velit , & forte non expedit , suæ cupiditati non obediatur , nam aliquando etiam

si

si noceat , prodesse creditur quod delectat : Denique si latens est dolor in corpore , famulo Dei dicenti quid sibi doleat , sine dubitatione credatur ; sed tamen , utrum sanando illi dolori quod delectat expediat , si non est certum , Medicus consulatur ; neque eant ad balnea , sive quocumque ire necesse fuerit minus quam duos , vel tres ; & ille qui habet aliquo eundi necessitatem , non cum quibus ipse voluerit , sed cum quibus iusserrit Præpositus , ire debebit.

### DE QUOLIBET ÆGROTANTUM.

**A** Grotantium cura , sive post ægritudinem reficiendorum , sive aliqua imbecillitate , sive etiam febribus laborantium unius alicui debet iniungi , ut ipse de Cellario petat , quod cuique optuisse prospexerit ; sive qui Cellario , sive qui vestibus , sive qui codicibus præponuntur , sine murmure serviant fratribus suis .

C

UT

UT CERTA HORA CODICES . PE-  
tantur.

**C**odices certa hora singulis diebus petantur : extra horam qui petierit, non accipiat.

UT ABSQUE DILATIONE VESTIMENTA  
ta indigentibus tribuantur.

**V**estimenta vero, & calceamenta, quan-  
do fuerint indigentibus necessaria,  
dare non differant, sub quorum custodia  
sunt, quæ poscuntur.

UT LITES NULLAS HABEATIS.

**L**ites autem nullas habeatis, aut quam  
celerrimè finiatis, ne ira crescat in  
odium, & trabem faciat de festucal, &  
animam faciat homicidam, sic enim le-  
gitis: qui odit fratrem suum, homici-  
da est.

Quicumque convitio, vel maledictio,

vel

vel etiam criminis objectu alterum læsse-  
rit, meminerit satisfactione quam totius  
curare quod fecit; & ille qui læsus est  
sine disceptatione dimittere: Si autem  
invicem se læsserint, invicem sibi debita  
relaxare debebunt propter orationes ves-  
tras, quas utique quanto crebriores ha-  
bebitis, tanto sanctiores habere debebitis:  
Melior est autem, qui, quamvis ira fæ-  
pè tentatur, tamen impetrare festinat, ut  
sibi dimittat, cui se fecisse agnovit iniuriam  
quam qui tardius irascitur, & ad veniam  
petendam difficilius inclinatur: qui autem  
nunquam vult petere veniam, aut ex ani-  
mo petit, sine causa est in Monasterio,  
etiam si inde non ejiciatur: proinde vo-  
bis à verbis durioribus parcite; si quæ si  
emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex  
ipso ore profferre medicamenta, unde fac-  
ta sunt vulnera.

Quando autem necesitas disciplinæ in mo-  
ribus coercendis, dicere vos dura verba  
compellit, si etiam ipsi vos modum ex-  
cessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut

C 2

à

à subditis véniam postuletis; ne apud eos, quos opportet esse subiectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur authoritas: Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus iusto forte corrigitis, quanta benevolentia diligatis.

Non auten carnalis, sed spiritualis debet esse inter vos dilectio.

## DE OBEDIENTIA PRÆPOSITI.

**P**rœposito, tanquam patri obediatur, multo magis presbitero, qui omnium vestrum curam gerit. Ne in illo offendatur, qui dicit: qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Admonendi sunt Canonici ut perpendant, quia quidquid à fidelibus datur, redemptio peccatorum est, & ideo non gloriantur talibus sumptis uti, sed magis timeant, quod in veteri testamento de Sacerdotibus dictum est, iniquitatem populi eos deberet portare, & ideo cum magno timore su-

per

per eos solliciti sint, quorum dominus participantur, quia magnum periculum est iudicem fieri vitæ alienæ qui nescit teneare moderamina vitæ suæ. Ut ergo cuncta ista serventur precipimus, & si quid servatum minus fuerit non negligenter pretereatur, sed ut emendandum corrigenendumque curetur, quod præpositum præcipue pertinebit, ut ad præbiterum, cui est apud vos maiori authoritas, referat quod modum vel vires eius excedit. Ipse vero qui vobis præest, se non existimet potestate dominante, sed charitate serviante felicem: Honore coram vobis prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes scilicet ipsum bonorum operum præbeat exemplum: corripiat inquietos, consoletur, pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamvis utrumque sit necessarium, tamem plus à vobis amari appetat quam timeri: semper cogitans Deo se pro vobis redditum esse rationem. Vnde

de

de vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini; qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in periculo maiore versatur.

## ORATIO BEATI AUGUSTINI.

**D**onet Dominus, ut observeatis hæc omnia tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conversatione fragrantes: non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ut autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, né per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur, & ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori; ubi autem miserebis: quicunque vestrum videt deesse aliquid dolent de præterito, caveat de futuro; orans, ut & debitum dimittatur; & in tentationem non inducatur.

V. Ignoratio Explicit regula hoc id est

